

ribus honorum impendiis graciosius inclinamur, tum quia ecclesia vestra iuxta primitivam institutionem episcopalis foundationis secundaria nostrae cathedralis ecclesiae et vicinitate coniuncta noscitur, tum quia in nonnullis festivitatibus praecipuis eiusdem nostrae ecclesiae praepositus ecclesiae vestrae, qui fuit et est pro tempore in stallo chori et processionibus solemnibus decano Misnensi collateralis extitit, ac seniores domini de praefata ecclesia vestra in sacerdotio constituti locum in choro ecclesiae nostrae et in processionibus solitis inter canonicos et perpetuos vicarios eiusdem ecclesiae obtinere hactenus et procedere consueverunt; tum quoque quia praepositus modernus ad ministrationem praepositurae et ecclesiae ipsius regimen ex confirmatione electionis suae per sedem apostolicam sanctam dinoscitur fuisse assecutus. Ad conformandum igitur vos personis ecclesiae nostrae praedictae, cuius membra secundaria reputamini, cum quibus deinceps eo honestius incedere valeatis, vobis favore religionis, quam etsi in nobis non habemus, in aliis tamen cordialiter amplectimur, ex certa scientia et benignitate paterna graciosius concedimus et annuendo favorabiliter indulgemus, quatenus ex nunc et in antea vos, domine praeposite, chophium seu almucium de vario, vos autem domini prior et ceteri in sacerdotio constituti, cophia sive almucia de pellibus asperolinis tam in nostra, quando et quotiens eam visitare et processionibus interesse teneamini, quam in vestra ecclesiis, diebus singulis deferre possitis et in eisdem incedere perpetuo licite debeatis, praesentis indulti et concessionis gratiam ad successores vestros etiam benignius extendentes, per quam vos et ecclesiam vestram novae quadam dignitatis praerogativa et specialis eminentiae privilegio decoramus attollimus et insignimus. Ut autem praefata concessionis indulgentia perpetuae firmitatis robur obtineat et inconvulsa iugiter perseveret, praesentem litteram scribi et nostri autentici sigilli fecimus appensione muniri. Datum et actum in castro nostro Stolpin, anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo septimo in die beati Laurentii martyris et levitae.

Nach dem Chartul. monast. s. Aefrae II. fol. 114.

No. 222. 1382. 14. Apr.

*Stiftung von Jahresgedächtnissen für den Domdecan Nic. von Aldenburg und dessen Eltern.*

Nos Johannes praepositus, Franciscus prior, Vlricus de Malticz, Laurentius de Wilensdorf, Johannes Buckewan, Ernfridus de Slynicz, Petrus de Schonowe, Nicolaus Rymensnider, Petrus Köppel, Benedictus Uwirbach et Conradus de Axin canonici regulares et capitulum facientes monasterii sanctae Aefrae ordinis sancti Augustini in Misna, tenore praesentium recognoscimus et publice profitemur, quod cum nos et nostrum monasterium ex diversis et variis oppressionibus exactionibus talliis angariis et perangariis nobis et nostro monasterio crebrius impositis expetitis et extortis, et nunc praesertim occasione biennalis decimae pro subsidio regi Romanorum ex mandato apostolico per nos solvendae tanto et tali fuisset et essemus debitorum onere praegravati, quod absque honorum alienatione ab huiusmodi debitorum sarcina eripi et liberari ac aliter dicti monasterii nostri statum congrue reformare non possemus quovismodo, volentes tamen et eligentes potius pro nostri monasterii personis, quam pro extraneis alienationem facere aliqualem — iusto emptionis et venditionis titulo interveniente rite et rationabiliter vendidimus